

Exculta eruditio, singulari pietati conjuncta, quam in hac Academia vestra laeti suspicimus, spem nobis facit, futurum ut acceptam a Majoribus doctrinam tueri, & inductos a nonnullis abusus arcere pergat. Ea vos eruditio muniet adversus falsi nominis Augustinianos, qui, cum sanctissimi Doctoris mentem ceteris omnium aetatum Theologis feliciter attingisse sibi fingerent, gratiam necessitatem commenti sunt, novam humanæ libertatis ideam intulere, summam bonitati Dei, qui omnes homines salvos fieri vult, modum arbitrari suo posuerunt: ceteros demum errores refricant, quos, a Concilio Tridentino jam pridem anathemate notatos, suis demum Constitutionibus proscribere Innocentius X. & Alexander VII. quinque famosis Propositionibus, ex libro Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi petitis, iusta censura confixis.

Eas Summorum Pontificum Constitutiones summa, qua par erat, veneratione exceperunt Episcopi Gallicani, latoque judicio reverenter assensu sunt. Accessit universalis Ecclesiae Catholicae consensus. Ac demum Christianissimus Rex, Ecclesiae commodis, pro sua pietate, indefinenter intentus, Ecclesiasticae auctoritati Regiam addidit, lato supremo Edicto, Mense Aprili 1665. Firmam hac, atque etiam perennem Ecclesiae pacem attulissent, nisi eam identidem inquieta ingenia perturbassent, nisi scriptis, seu verbis minus prudentibus, & orthodoxis, quibus etiam caritas non mediocriter laedebatur. Certam nobis restituendae pacis viam monstravit piissimus Princeps, dato sanctioris Consilii sui Edicto, die 23. Octob. 1668. quo Brevis Pontificii Clementis IX. observantiam imperabat. (1) Summa nobis ad hanc usque diem cura fuit, piis tanti Principis votis respondere, ut in hac diegesti nostra pacem integram foveremus: ac re ipsa quidem, volente Deo, studiis nostris respondit eventus. Stabimus post hac incepto, nec minimum quidquam de pristina vigilantia remitemus. Quo zelo, qua fide, in eos animadvertemus, qui e damnatis quinque propositionibus aliquam tueri, aut adversus Innocentium X. & Alexandri VII. Constitutiones scripturire, ac mulitare audent, eorum quoque audaciam cohibebimus, qui, assumpta sibi de intimis animi sensibus iudicandi licentia, quam ne sibi quidem arrogat Ecclesia, viros probos, ac pios temerariis suspicionibus infamant, vexant, exagitant, ac vagis Jansenismi accusationibus infestant. Sanctissimi Pontificis, a Deo dati, cui & longos adprecamur annos, prudentibus Statutis utemur, ut debemus, futurumque speramus, ut data non ita pridem Brevia Apostolica ad Belgii Episcopos, & Academiam Lovaniensem, singulari in Augustini doctrinam studio commendabilem, locupletissimam tandem Ecclesiae pacem adferant, Interea Brevium illorum auctoritate tuti, iniquas, & invidiosas accusationes compescemus, quibus professi calumniatores singularis pietatis, ac doctrinae viros infestant.

Quocirca publice denuntiamus, quemadmodum

& nuper Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis publico Decreto (2) denuntiavit, nos nulla ratione passuros, ut viri sine nomine, sine caritate, ac sepius etiam sine litteris, de proximorum fide iudicandi, eosdemque ex levibus suspitionibus infamandi, ius sibi sumant. Faxit Deus, ut tot illis Summi Pontificis, & Episcoporum consiliis obsequantur audaces accusatores, prudentissimoque Regis Edicto obtemperant, quo fatale nimis, & bonis omnibus exitiale incendium relinquentium exstimmaverat. Si sua illos nihilofecius pernicia male torquet, timendum, ne haec in eos Hormidae Pontificis de Scythiae Monachis, verba cadant: (3) *Eousque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque Orbis putent inclinandum esse iudicium; nec in numero fidelium deputantes sequaces Traditionis paterna, si suae viderint cedere nolle sententia.*

Volumus, hoc praesens Decretum nostrum in proximis Theologiae Rhemensis Academiae Comitibus legi, cum primum ex juris forma vulgatum erit, in ejus Commentarios referri ex integro, doctrinamque, inibi expositam, in publicis Scholis doceri, ac propugnari. Volumus insuper, idem illud ad omnes Dioecesis nostrae Cœnobiarchas deferri, ad trium Seminariorum Praepositos, ad Rectorem, & Theologiae Professores Collegii Societatis hujusce urbis, ac demum ad Rectores Jesuitarum Carolopolis, & Sedani: atque id quidem sine mora, agente Curiae nostrae Syndico. Universis Societatis Religiosis, seu jam in nostra Dioecesi constitutis, seu ad eam deinceps accessuris, injungimus, ut praesenti Decreto pareant, quo supra modo expositum est. Ac licet liberam eis relinquamus quaestionem Theologicarum tractationem, quas vel liberas habent Theologicae Scholae, vel ad iudicium aleam vocavit Apostolica Sedes, iis tamen, quemadmodum & singulis sacerdotibus, secularibus, & Regularibus, Concionatoribus, ac Magistris inibemus, ne quid scribant, doceant, aut e Sacro suggestu, vel Scholae pulpito tradant, in duobus illis Capitibus repugnans, quibus, veluti fundamentis, Augustiniana doctrina summam, ab Ecclesia probatam, ac velut Ecclesiae fidem contra Pelagianos assertam, ostendimus. Statuimus praeterea, ut Theses Theologicae, diebus 5. & 17. Decembris anni mox elapsi habeat, supprimantur.

Ceterum testificamur, paratos nos esse ex animo ad singulares benevolentiae, & eximiationis nostrae significationes, quas data occasione, Societati deferendas: futurumque speramus, ut qua ratione nihil ex eis omnino volumus, nisi quod Dei gloria, Ecclesiae dignitas, ac vera Societatis ipsius commoda postulant; ita iudicio, atque auctoritati Dei pareant, qui nos, immeritis licet, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

Hoc tandem superest unum, ut Deum optimum adprecemur, *Ut id ipsum dicamus omnes... simulque perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia,* (4) ut, ejus opitulante gratia, solliciti sumus *servare unitatem Spiritus in vinculo pacis:* (5) cum una

circa annum 1589. aut 1590.) In penultima ad Baccalaureatum Disputatione defendendas sibi sumerat respondens, praeter alias, etiam duas propositiones haec. *Electos Deus, ex pura gratia, & non ex praesidio meritis, ad esse suum misericordiae suae praesidio. Et omnis voluntatis conatus, & acceptio gratiae est a gratia, sine qua nemo Deo inspiranti consentit.* In disputatione cum quaesitum a quodam disputantium fuisse de sententia Illust. Cardin. Alani super causa praedestinationis (cui interroganti occasionem hoc dabat, quod Respondens illius viri in Academia Rhemensis discipulus, alumnusque fuisset diximus & Praefes, & Respondens id, quod res erat. Et paucis post diebus legi vobis, in Commentariis ejusdem D. Alani in primum Sententiarum, mea manu, illo distante, descriptis, ejus sententiam, nostris profertur conformem, addens, quod fide digno testimonio mihi constabat, eundem a Cathedra Rhemensis ideo prohibuisse quosdam, quia contrarium, ut didicerant, docturi etiam fuissent.

Pag. 108. *Collectiois ejusdem, editi anno 1695.* (1) Edicto publico, 28. Septembr. dato, Rex cavet, ne subditorum suorum ulli se invicem impetant, aut dictis proficiant, sub praetextu anteaactae controversiae, neve impingant Haereticorum, Jansenitarum, Semipelagianorum, aut similia quavis factionis nomina, ne demum scribant, edantve in lucem libellos de hoc eodem controverso argumento, nec famam con vitis herant cuiusquam, qui fidei formulae, ex sui Archiepiscopi, Episcopove praescripto subscriperit, sub poena gravi ad exemplum infligenda. (2) Die 20. Augusti 1606. (3) *Epist. 20.* (4) *1. ad Cor. 1.* (5) *ad Eph. 4.*

una nobis fides esse debeat, spes una, finis unus, Secretarii nostri Chirographo, die 15. Julii anno 1697.

Gloria salicet Dei Patris, per Dominum nostrum Jesum Christum, ad Ecclesiae Catholicae munimentum.

CAROLUS MAURITIUS
Archiepiscopus Dux Rhemensis.
De Mandato Illustrissimi Archiepiscopi Domini
DE MARTIGNY.

X X I V.

THESES JESUITARUM,

De quibus in Pastoralis Illustrissimi Rhemensis Decreto,
& in Historia Congregationis, cum aliis
nonnullis affinis.

JESUITARUM RHEMENSIIUM
Theses Theologicae de Gratia.

13. Augusti anno 1692.

DE GRATIA IN GENERE. (1)

I.

I I.

GRATIA magnum Dei donum, sed magnum quoque fidei mysterium: in eo scrutando vestigis D. Augustini, & D. Thomae prudenter insistitur; in explicando, Ecclesiae definitionibus inhaerendum. Hinc ab Alexandro VIII. damnata haec propositio: *Ubi quis invenit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Gratia vel est pure naturalis, si tamen haec a Theologo gratia dici simpliciter debet, vel supernaturalis; eaque vel quoad modum tantum, vel quoad substantiam: subdividitur supernaturalis in gratis datam, & gratum facientem; gratum faciens in habitualem, & actualem; actualis in gratiam fanitatis, & medicinae; utraque in praevientem, concomitantem, & subsequentem; praevientem in efficacem, & sufficientem, &c. Potuisse hominem condi, absque ordine ad ullam gratiam supernaturalem, probat ipsum nomen supernaturalis gratiae; non ita tamen fuisse conditum, probat felix ille status, in quo ante peccatum vivere primi Parentes. Hujus status prerogativae singulares numerantur, naturae integritas, justitia originalis, gratia sanctificans; quae omnia primo homini, a primo creationis instanti, fuisse donata, arbitramur; ut enim in Angelo, sic in homine Deus simul fuit & naturam condens, & gratiam largiens. Fuit ergo possibilis status naturae purae; at non existit: existit status integer elevatiois; at hic non diu perstitit; quae enim per bonam voluntatem concesserat Deus Creator, haec per malum arbitrii usum perdidit homo peccator, nunquam utique reditura, nisi lapsus ille naturae fuisset, si non adaequate, saltem secundum id, quod erat praecipuum, beneficium Redemptoris reparatus.

Dari in statu naturae reparatae gratiam sanctificantem habitualem, eamque homini realiter inhaerentem, & non denominative tantum ab Christi Redemptoris iustitia, homini iusto impunita, contra recentiores Haereticos definit Concilium Tridentinum. An haec entitative ab anima distincta sit; quaestio est philosophica magis, quam Theologica: supponimus certo distinctam: an vero distincta sit ab habitu caritatis; quaestio est vere Theologica, sed minus certa: nos sententiae distinguenti, ob id maxime, quod videatur esse D. Thomae, libentius assentimur. Bene definitur; Supernaturalis participatio Divinae naturae. Supernaturalitatem suam habet, sicut & omne aliud ens in entitate supernaturali, quoad nos quidem, quod ad unionem cum Deo, ut in se est, ordinetur; quoad se vero, quod ejus sit perfectionis, quae vires omnes cuiuscumque naturae creatae tam passivas, quam activas, tam morales, quam physicas exsuperet. Obiinetur in Sacramentis ex opere operato, praescripto, non excluso, omni operantis merito; immo & quandoque exclusa omni subiecti dispositione, ut in infantibus: extra Sacramenta, non nisi ex opere operantis, si martyrium excipias; absque tamen merito de condigno, si sit prima; fecus, si sit secunda. Facit hominem vere justum, vere filium Dei adoptivum, & gloriae aeternae heredem: an haec tamen omnia ex natura sua, an ex accedente pacto Divino habeat, non definimus. Capax est augmenti, augeturque de facto per pia opera, idque statim ab opere, non contradicente D. Thomae; at per peccata non minuitur, sed vel tota perit, si sunt mortalia; vel si sunt venialia, tota remanet, non tamen absque accidentaliter detrimento.

III.

(1) Ad Paragraphum 4. Hist. de Auxiliis.

III.

Homo in quolibet statu indiget ad bene moraliter agendum speciali beneficio Dei; at ad agendum supernaturaliter indiget beneficio aliquo supernaturali, eoque non tantum dignificante, sed etiam actualiter adjuvante; quin nec improbabile videtur, auxilia primo homini ante lapsum, aut ad bonum agendum, aut ad malum laudabiliter fugiendum, concessa, fuisse omnia supernaturalia, non per se, & propter defectum naturalis possibilitatis, sed ex beneficentia Dei, & propter hominis ad statum supernaturalem elevationem. Auxilium supernaturale interius duplex; aliud in intellectu; aliud in voluntate. Est in intellectu pro omni statu idem, nempe prævia cognitio ejus, quod faciendum est, ut præveniatur ignorantia, vel tollatur: at in voluntate est pro diverso statu diversum. In natura integra fuit, ut loquitur Augustinus, *læti*; est in lapsa potentia; adjuvabat in natura integra voluntatem, non corroborabat; adjuvat, & corroborat in lapsa; poterat quippe voluntas sana per se ipsam agere, licet non sine auxilio coagente; at semel læsa, facta est infirmior, quam ut vel coagere possit, nisi prius ipsa auxilio prævio, & intrinsece sanante corroboretur. Prioris status auxilium dictum est ab Augustino, *Auxilium sine quo*; posterioris, *Auxilium quo*: siue sit solus potentia, si non sit efficax, siue & ipsius actus, si accedat efficacia. In hoc adjuvandi diverso modo situm est essentialiter discrimen gratia fanitatis, & gratia medicinae; & hanc fuisse mentem D. Augustini, qui negaverit, Augustinum non fati intelligit.

IV.

Auxilium sine quo voluntatis sana non aliud fuit, post habitam gratiam originalem, quam ipsamet gratia originalis, vel per se, vel per annexos sibi supernaturalium virtutum habitus voluntatem elevans, & adjuvans ad actus hinc habitibus correspondentes: at ante habitam gratiam non aliud fuisse putamus, quam concursum actualem extraordinarium, suppletentem absentiam principii habitualis: his sine, nihil salutare potuit complete agere, quantumvis sana voluntas; at cum his nihil non potuit; secus voluntas læsa, quæ, etsi a gratia habituali, & virtutibus sufficienter & elevetur, & veluti extrinsece adjuvetur, ut supernaturaliter agat, & meritorie; at non habet sufficienter ab eis, ut cum eis possit cooperari; accedat enim necesse est prævia motio gratia actualis, quam Augustinus vocat delectationem quandam iustitiæ, quæ, dum vincit in nobis delectationem concupiscentiæ per suavitatem Spiritus Sancti, voluntatis sanat infirmitatem, & eam, ex propriis viribus impotentem non tantum agere, sed & coagere, corroborat, ut jam possit; fitque auxilium non tantum sine quo, sed quo. Hinc, licet nec in natura integra liberum arbitrium quidquam ageret absque gratia, nec in præfenti statu gratia quidquam agat meritorium absque libero arbitrio; tamen in præfenti statu meritum omne speciali titulo gratia tribuitur, quod in statu nature integræ arbitrio tribuebatur: hæc enim vero attributio specialis, apud Augustinum

TH. V. (1) Philalethes liberum arbitrium suum inscripsit; Triumphus Thomistarum; ipse tamen non Thomista. (2) In Appendice, quam inscripsit; Triumphus firmatus num. 25.

VI. (3) Ex eo, quod non accepit, nullus reus est: ex eo vero, quod non facit, quod debet, iuste reus est: debet autem, si accepit & voluntatem liberam, & SUFFICIENTISSIMAM facultatem. Et infra. Si tu laudaris, videndo, quod facere debens; quanto magis ille, qui & velle precepit, & posse præcavit, & non impune nolle permisit? A. quod lib. 3. de lib. arb. cap. 10.

non semel occurrens, quandam duntaxat primitatem causalitatis innuit, non coagentis exclusionem.

V.

Auxilium illud quo gratia, quod negabat Pelagius, quod Augustinus propugnabat, & a Pelagio nunquam non postulabat, ita in natura lapsa necessarium est ad omne opus salutare, ut absque eo, physice, non tantum elicitive, sed & applicative influente, liberum hominis arbitrium nihil, ne initium quidem eujuscumque operis salutis, habere possit; non initium fidei, aut credulitatis affectum; non invocationem gratia; non volitionem fanationis, non quantumcumque conatum, non suam determinationem. Quid ultra poscat vel ipse Philalethes, adversariorum acerimus? At si ita est, qui stabit (1) *Triumphus sui* fundamentum, quod affirmemus, in opere salutari aliquid esse a libero arbitrio, quod non sit elicitive ab auxilio gratia, si non elicitive, saltem applicative, ut explicat alibi, (2) cujus oppositum hic aperte profitemur. Neque tamen propterea concludendum est, aut extinctum esse liberum arbitrium, aut ita infirmatum per peccatum, ut nihil cooperetur, quo ad justificationis gratiam se disponat, ac præparet, contradicente Tridentino; sic enim a Pelagianismo discedendum est, ut in recentiores hæretes non impingatur: immo nec est inferendum, humanum arbitrium nihil posse omnino boni intra naturæ limites, siue, ut loquitur Augustinus, quod ad præfentis vite bonitatem valet, si non desit auxilium connaturale: hinc enim multæ damnatæ propositiones Bajanae. Quid autem possit, non nisi periculose definire tentabit privatus Theologus. Hoc unum dici ad majorem Christi gloriam posse, putamus, vel ipsa pure naturalia, si quæ homini nunc dantur, auxilia, aut ad vincenda laudabiliter leviores tentationes, aut ad bene pure moraliter agendum, totidem esse Christi beneficia, ut sicutum ei debeatur, a quo peccatum illud deletum est, per quod totum ablatum erat.

VI.

Actualis, & supernaturalis gratia Christi duplex est; efficax, & sufficiens. Augustinum sane non accurate legerant, qui vocem gratia sufficientis ignotam volunt Augustino, cum Augustinus facultatem non modo sufficientem, sed & sufficientissimam agnoscat, (3) non efficacem. Qui vero in doctrina gratia, asserunt, eundem Augustinum a prioribus Patribus dissentisse, haud facile definias, Patribusne, an Augustino sint magis injuriosi; Patribus, quos in re tanti momenti erroris argunt; Augustino, quem Pelagianis objiciunt deridendum: qua enim vel apparente ratione reculare potuisset Augustinus priorum Patrum doctrinam circa gratiam, qui ob id maxime a Juliano postulabat admitti peccatum originale, quod iidem Patres peccatum illud admittissent? Fuit ergo & priorum Patrum, & Augustini eadem de gratia doctrina, sicut & de peccato originali; at non ita aperte explicata: nec ab iis, sicuti nec ab Augustino, ullo modo dissentimus, cum & sufficientem gratiam admittimus, cui consentire homo possit, si velit; & efficacem, cui

cui non tantum danda, quo admittit Philalethes, sed & data, quod in proprio sensu negat, dissentire posset, si vellet, id definitum Tridentino: sicque asserimus, efficacem esse utilem, & necessarium, ut sufficiens non sit inutilis, nedum perniciofa, & ad id, ut minimum, necessaria, ut iustificetur Deus in sermonibus suis, & vincat, cum judicaverit peccatores. Huic doctrina frustra opponitur dictum S. Augustini, *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est*, cum id sit intelligendum de delectatione, non quæ sit gratia, sed a gratia, nobisque libera.

DE GRATIA EFFICACI IN SPECIE.

VII.

GRATIA efficax, ob adjunctam sibi beneficii specialis rationem, gratia nomen sibi specialiter vendicat, & re ipsa apud Patres saepe obtinuit. Quid de ea sentiamus, aperte declaratum est jam ab anno 1599. in quinque propositionibus, a nobis Cardinali Madracio, & per eum Clementi VIII. præsentatis, 28. Maii, (1) iis, ne in apice quidem immutatis, (2) etiam num adhaeremus, utpote quæ doctrinam contineant, quam & tunc arbitrabamur & D. Augustino, & D. Thomæ magis consentaneam. Prop. 1. *Ad pietatis opera, quibus homo ad justificationem disponitur, necessarium est auxilium præveniens* (3) gratia efficax, per quod Deus facit, ut homo (4) pie operetur, quod quidem auxilium est internum, supernaturale, (5) intellectum, & voluntari intrinsecum, & donum peculiare, distinctum ab auxilio sufficienti; nec se tenet solum ex parte obiecti, sed etiam ex parte potentia. Prop. 2. *Efficacia hujus auxilii non consistit in qualitate, seu motione, quæ physice prædeterminet hominis voluntatem ad consensum, aut quæ talis sit nature, ut cum ejus entitate dissentis* (6) conjungi non possit; sed consistit in supernaturalibus, & congruis Dei excitationibus, (7) quæ ad vocationem solent (8) revocari, quibus Deus intellectum illuminat, & voluntatem, inclinando, & persuadendo, movet ea ratione, quæ videt, ei congruere, ut vocantem non respiciat.

VIII.

Prop. 3. *Unde hæc efficacia* (9) gratia, præter entitatem, & vim supernaturalem, quam a Deo accepit, necessario etiam requirit, ut ea homini (10) tribuatur in illis circumstantiis, in quibus prænovit Deus, ita congruere (11) voluntati, ut, si per eam præmoveretur, sit infallibiliter præstatura consensus. Prop. 4. *Præter hanc gratiam*, (12) quæ in prædictis vitalibus (13) motionibus consistit, Serry Tom. II.

VIII. (1) Hæc, & plura alia, ad historiam Congregationis de auxiliis pertinentia videri possunt apud Ripaldam, de Entre super. Tom. 2. l. 5. disp. 113. (2) *Historici observatio*. Cum hoc idem Scripserim, cui, ne in apice quidem immutato etiamnum adhaerere profiteretur Jetaus Rhemensis, superius Historia lib. 2. cap. 6. excusum sit, opere pretium putavi, etiam levissima discrimina observare, quæ inter nostram, illorumque exemplar occurrit. Nostri igitur illæ sunt lectiones, a Theobaldo discrepantes. (3) *Præveniens*. (4) *Ut homo convertatur, & pie operetur*. (5) *Pro Supernaturali habet, a Deo immittam*. (6) *Voluntatis dissentis*. (7) *Ad. Et inspiracionibus*. (8) *Pro solent habet debet*. (9) *Præveniens gratia*. (10) *Ea homini omnino tribuatur*. (11) *In quibus præcognoscit Deus, ita aptari, & congruere*. (12) *Præveniendum efficacem*. (13) *Adit Dei*. (14) *Nulla alia nec propter indifferentiam voluntatis, nec propter subordinacionem causæ secundæ ad primam requiritur &c.* (15) *Distincta a comitante*. (16) *Desit necessarium*. (17) *Concomitans*. (18) *cum Deo*. (19) *Dei voluntas*. (20) *Quo illos actus, quibus homo convertitur, in particulari*. (21) *Desit liberi arbitrii*. (22) *Ante prævisionem boni*. (23) *Sub hæc conditione, si liberum arbitrium tali gratia*. (24) *Desit liberi voluntatis motione*. Quod æternum decretum &c. (24) *Per vitales illas inspiraciones, & motiones, voluntati congruas, ut consentiat, & per gratiam concomitantem, modo supra expostio*.

IX. (25) *Vide opus Bern. Guiard. Dominici, cujus titulus, Discrimina inter doctrinam Thomisticam, & Jansenianam*. Toto l. 1. qui est de discrimina inter prædeterminationem Thomisticam, & Jansenianam. (26) *Nihil hæcenus invenit ad questionem istam, erat de providentia pro tempore ordinante, sed multo magis urget pro physice prædeterminante, nisi quæ communiter dicitur de SENSU COMPOSITO, ET DIVISO; de necessitate consequenti, & consequente &c. sed hæc omnia intellectum non QUIETANT, quoniam &c. Cajet. in 1. p. quæst. 22. art. 4.*

IX.

Gratia efficaci, in his quinque propositionibus explicata, conveniunt dote omnes, quas catholica doctrina requirit; nulla ex iis, quas convitantur adversarij. I. *Humana libertas congruit*; quis vero non indignetur, vel ob id solum a quibusdam censeri rejiciendam? Quasi vero non is debeat esse Theologorum scopus, ut, salva fide, vel apud ipsos infideles, humana libertas concilietur cum Divina præficientia, cum gratia, cum gratuita Dei prædestinatione: ad gratiarum quidem distributionem exclamandum est: o altitudo! at non ad singula, quæ gratiam spectant. Hanc libertatem humanam penitus pessundat gratia efficax Jansenii, siue antiquum nomen retineat necessitatis, siue a recentioribus Patribus palliatur nomine prædeterminantis, ut nempe detur effugij locus. Eandem libertatem non nisi inintelligibiliter salvam conservat, non qualis infra tolerabitur a nobis, sed qualis a Thomistis communiter admittitur, physica gratia prædeterminatio, D. Thomæ, ut quoad nomen incognita, ita & quoad rem plane opposita, quam tamen a Janseniana diverfam Thomistis (25) lubentissime concedimus. Hanc prædeterminationem non tueri facis sensus divinus, qui, si solus passivus admittitur, non modo non quietat animam, teste ipso Cajetano, (26) sed vel ipsa notione libertatis evertitur; si activus, rationem evertit prædeterminationis. Tueri posset præcedens dispositio negativa, homini libera, sed hæc opinio & speciem habet effugij, & in omnia impingit incommoda, quæ nobis objicit, cum hoc discrimine, quod hæc sint ei insolubilia, nobis ne timenda quidem. Non tueri magis, quod Thomistæ repetunt ad nauseam, Deum non prædeterminare, nisi secundum modum, naturæ liberæ

Aaa

con-

convenientem; quasi vero non id fit, quod in questione versatur, quodque negatur, posse nempe dari physicam prae-determinationem, quae non fit contra modum, naturae libera convenientem. Libertatem utrunque retinet prae-determinatio moralis quorundam Recentiorum, sed, nisi haec in congruitate incidat, & opponitur experientiae, & infringit dictum Joannis: Regnum Caelorum vim patitur &c. & nisi a scientia media dirigatur, Deum facit frustrabiliter decernentem. Igitur ad gratiam redeundum, quae fit ex congruitate certo, & infallibiliter effectum habitura.

X.

Hæc gratia non est 2. minus Dei donum, immo majus, quam si me determinaret; plus enim ei debeo, qui, intacta, mihi que relicta mei determinandi potestate, ac determinatione, tam certo me facit bonum opus operari, quam si ipse me ad opus illud determinaret. 3. Non minus est efficax per se, (quamquam non in Jansenii sensu) quippe quae nihil a voluntate mutetur, unde agat, sed ipsa viribus suis & agat, & voluntatem faciat coagentem; est enim consensus voluntatis; id quidem, sine quo gratia non ageret, at non id, quo agit (1); & consensus ipse principalis est a gratia, quam a voluntate, nec a voluntate, nisi per gratiam, quae physice moveat, & applicet voluntatem consentientem. Videant ergo, quantum apud nos errent, qui sic ratiocinantur: Gratia voluntatem physice movet, immo & prae-movet; ergo determinat, immo & prae-determinat; ergo non est efficax per se. 4. Non est Pedisseque voluntatis; neque enim, ut agat, quidquam prae-vium expectat a voluntate, cum voluntas non agat, nisi prae-venta a gratia, prae-ventione non dependentie tantum, sed & naturae. 5. Multo minus est *resistibilis*, quia, etsi ejus operatio potuerit a voluntate, si dissentisset, impediri, ac nec ipsa de se indifferens est ad agendum, ad non agendum; est enim ex natura sua ad agendum determinata, quamvis non impedibiliter; nec, si esset indifferens, indifferenter datur, sed ex proposito, infrustrabiliter effectum ejus prae-determinante, unde non minus apud nos, quam apud quoscunque, gratia efficax, & gratia secundum propositum convertuntur.

X I.

Hinc 6. nulla unquam datur efficax gratia, quin absolute sit certissime, infrustrabiliter, invincibiliter, indeclinabiliter, inseparabiliter &c. habitura effectum; quod tamen non habet a sola sua aut entitate, aut etiam congruitate, sed a

X. (1) Cum Molina dixisset, liberum arbitrium reddere efficacia gratiae auxilia, qui modus loquendi in alio, quam Molinae sensu, ab adversariis intellectus, praecipuum dedit occasionem in ejus doctrinam declamandi, sic ipsemet illico subdit: Quando audis, consensum nostrum efficacia reddere auxilia gratiae, non ita id intelligas, quasi arbitrium nostrum vim aliquam, aut efficacitatem tribuat auxilio ipsi. Ut enim late explicatum est, arbitrium, & influxus noster nullam vim conferunt gratiae auxilio, sed potius, sed contra, auxilia vim, & propositionem arbitrio tribuunt. Quo fit, ut arbitrium, prius natura motum, & excitatum per auxilium gratiae prae-veniens, consentire libere, & cooperari cum eodem auxilio, non sit EFFICACITATEM illi tribuere, sed adhibere CONDITIONEM, SINE QUAE tale auxilium NON habebit rationem efficacis, per comparationem ad effectum. Hac sensu hoc loco addenda, tamen perspicua satis in nostra doctrina essent, quantum non deservierit, qui ut auxilia gratiae ex se efficacis, in sensu nempe Thomistico, tuerentur, doctrinam nostram hoc loco in sensum nostrum trahere conati sunt, quasi nos doceremus, arbitrium conferre efficaciam, seu vim auxilio gratiae &c. Molina lib. de Conc. q. 23. ar. 4. & 5. disp. 1. membr. 6.

XI. (2) Memento, ista apertissime inter se cohaerere, nihil esse in potestate creature, quod etiam non sit in potestate Dei: Deum sua OMNIPOTENTIA inflectere posse nostrum liberum arbitrium quocumque voluerit, praeterquam in peccatum &c. Molina l. de Conc. q. 12. ar. 13. disp. 52. §. Sciscitabitur.

XI. (3) Pacis amantes auctororum nomina solis scientibus indicamus l. S. D. L. 2. Januarii 1649. Th. 2. Libertas non indiget gratia sufficienti, quia indifferenciam illam, & gratiam mere sufficientem, quae in statu naturae integra fuerunt, in statu naturae lapsae dari, neque Ser. S. neque Conc. Tr. neque S. Aug. neque ratio docet licet 16. Octob. 1649. Th. 4. Gratia sufficientis, statui nostro non tam utilis, quam perniciosa, sic ut proinde merito dicere possimus, a gratia sufficienti libera nos Dominus. Quae propositio est 6. e dampnatis ab Alex. VIII. G. V. D. L. 11. Febr. 1651. Th. 1. Gratia sufficientis in hoc statu non solum non datur, sed frustranea est. QUANCUMQUE INTENSAM Deus largiretur. C. L. D. L. 17. Apr. 1651. NULLA nobis, quae TOTA in Adam perit, atque natura nostrae plagas reparare inhabilis est, gratia sufficientis &c.

proposito Divino, cui cum datur, subest. 7. Per gratiam praedictam Deus non minus physice opus salutare operatur, quam per quamcumque aliam; ad physicam enim actionem nihil minus facit prae-ventio, quam prae-determinatio. 8. Neque etiam minus moraliter, ut fit enim Deus initium salutis hominis, eumque primo discernat, tam sufficit, ut hominem sic vocet, quomodo scit, ei congruere, ut vocantem non respuat, quam si prae-determinet. Neque volentis, clamamus cum Augustino, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo erat aptum iis, qui secuti sunt vocationem; nam cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit, ei congruere, ut vocantem non respuat. 9. Eadem gratia non minus est effectus omnipotentis; (2) immo magis: prae-determinare enim non reluctatum, non video, cur desideret omnipotentem; at quis alter, quam omnipotens, tot, talesque habeat in sua potestate motiones, ut, quamvis nulla prae-determinet liberum arbitrium, nullum tamen sit arbitrium, quantumvis aversum, & reluctans, quod non possit per ejusmodi motiones, quo voluerit, eo convertere. Hoc enimvero est Deum habere, ut ait Augustinus, humanorum cordium, quo voluerit, inclinandum omnipotentissimam potestatem. 10. Denique, ut non minus gratiam, sic nec minus inscrutabilem facit haec gratia praedestinationem; sed de praedestinatione infra. Apage ergo toties in hanc gratiam inreolata ab nonnullis terrecula, quae scilicet imponere possunt, non doctis: in questione tam gravi rationibus agendum, non conyitit, & prius descendum, quid impugnetur, quam descendatur ad pugnam.

X I I.

Gratia prae-veniens sic est ex se, & ex Deo, ut explicatum est, efficax, ut radicaliter, & primo, non nisi ex nostro, hoc est, nostri consensus defectu, fiat ad id, ad quod proxime datur, pure sufficientis, ut verificetur illud Osee 13. Perditio tua est te, Israel, tantummodo in nos auxilium tuum. Gratias pure sufficientes admittunt Thomista, & sentiunt, tales esse ex negatione prae-determinationis. At si haec negatio negationem consensus non praesupponit, rursus intelligibilis est conservatio libertatis; si praesupponit, rursus adit species effugii, rursus incommoda, ipsis insolubilia. In Principiis multorum aliorum, sufficientia pura gratiae oritur ex defectu virtutis, quae nos moveat: quare cum nulla sit, quae virtutem non habeat ad id nos movendi, ad quod proxime datur; hinc apud eos, cum consequenter, ne dicam, cum sincere loquantur, nulla est gratia pure sufficientis. (3) Qui ea in re idem se

se sentire cum Thomistis, sub expressionibus, utriusque praedictae sententiae communibus, nunc profiteretur; optandum esset ad Ecclesiae pacem, ut, memores Coelestii, & Pelagii sub Zozimo, mentem apertius, & specialius explicarent. Quidquid sit, quam aperte nobis hic, ut ubique, fateatur Augustinus, vel ex hoc loco potest intelligi: Illi electi, qui CONGRUENTER vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia NON SECUTI, quamvis vocati. Mirum sane, displicere AUGUSTINI DISCIPULIS, gratiam ex congruitate efficacem, & inefficacem ex defectu consensus, quam ab Augustino legunt assertam; placere praedeterminantem, de cuius voce tam altum est apud Augustinum silentium, quam de ejusdem natura magnum hactenus fuit vel inter Assertores diffidium, teste ipso Philalethe (1)

DE CAUSIS, ET ADJUNCTIS GRATIAE.

X I I I.

GRATIAE causa efficiens principalis Deus; quod enim omnes creature vires, & exigentiam superat, a quo alio possit esse, quam a Deo? Causa meritoria in statu praesenti, Christus. Hic meritum suum consummavit in morte, ei tam quoad substantiam, quam quoad circumstantias perfecte libera. Libertatem illam cum ejusdem Christi impeccabilitate haud adeo difficile conciliamus, non per gratias equidem, sed per motiones semper efficacem, ipsi, ratione unionis hypostaticae, necessario, & infrustrabili debito debitas, & datas. Sic pro omnibus oravit, ut neminem exluserit ab oratione; sic pro omnibus mortuos est, ut nemini media, ad salutem necessaria, denegaret, quanquam nec aequalia, nec semper sint singulis data. Falsa est ergo, & merito damnata hac Propos. Dedit semetipsum pro nobis oblationem, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus. Omnium enim salutem aliqua voluntate voluisse, probant sufficienter vel ipsa Sacramenta, quae sic ab instituta sunt, ut nemo omnino sit, cui si debite applicentur, non sint effectum habitura, & gratiam, tanquam causam

Serry Tom. II.

se minus principales, collatura. Huic doctrinae haudquaquam adversatur Augustinus, etiam si locum hunc Apostoli 1. ad Tim. 2. Qui omnes homines vult salvos fieri, in alio sensu, non uno in loco, iusta ratione explicavit.

X I V.

Distributio gratiarum prae-lucet necessario Scientia illa, quam Recentioribus placuit Mediam appellare, & quam, sub scientia vel simplicis intelligentiae, (2) vel visionis antea comprehensam, non alia de causa isti putarunt, ab utraque distinguendam, nisi ut praedestinationis mysterium, ejusque cum humana libertate consensus explicaretur clarius, atque facilius. Est distinguendi fundamentum plusquam sufficiens, eum haec scientia, in particulari sumpta, & ratione termini sui, nec sit absolute necessaria, ut scientia simplicis intelligentiae, nec absolute Deo libera, ut scientia visionis, sed inter illas quasi media: distinctam tamen admittere, aut negabit, qui voluerit, modo res retineatur, hoc est, Liberatorum omnium sub conditione futurorum cognitio, quae omne decretum antecedit: Hanc scientiam novit Augustinus, ejus usum laudavit in aliis (3), ipsemet nunquam non usus est, (4) ubi opus habuit; ejus absum in Semipelagianis, & aliquando in seipso, reprobavit quidem, (5) sed ita semper, ut eam in genere existentem non negarit, & non negando firmarit. Cave hanc scientiam, seu praesentiam, si stricte loqui velis, confundas cum praevisione; praevidentur enim ea sola, quae absolute futura sunt, non quae futura tantum sub conditione. Est antecedens ad omnia decreta Dei, ut eorum, quantenus sunt effectuum liberorum praedeterminata, sit directiva. Hanc Deus unice debet, & naturae suae, quantenus est intelligibilis omnis veri, & intellectui suo, quantenus ratione suae in intelligendo infinitatis extendit intellectionem suam ad omne verum. Sic terminatur ad futura sub conditione, ut ab iis minime pendeat. Quam male eam norunt, qui de ea sentiunt aliter, eamque damnant; at non ita omnes (6).

Aaa 2

XV.

(1) Gratia sufficientis concordia Molinistarum apud PLEBEM credit: gratia per se efficax, quam utriusque Ecclesiae sol defendit, parum absumit, quin discipulorum discordia dilaberetur. Philal. in Triumph. opusc. 1. nu. 93. Haud querimus, nos Molinistas appellari a Philalethe, tum cum magnum, ne quid amplius dicam, Theologorum numerum PLEBEM appellat. Scire tamen potest, fuisse jam ab an. 1599. 22. Febr. declaratum, propriam Molinae doctrinam, non nisi ut auctoris privati (non ergo ut ducis, & quomodo ut ducis, quem nos in paucis impugnamus) & ut probabilem duntaxat, & a censura alienam a nobis vindicari, quod quidem hactenus, Deo favente, praestitum est. Quid autem de doctrina Molinae sentiant plures alii non NOSTRI, dicere poterit ab uno, aut altero. D. BAIL. Doctor Sorbonicus in addit. ad Sannam Concil. Licet significaverit Molina in libro suo de Concordia, si ratio concilianda humanae libertatis cum Divina gratia quae petitur ex usu scientiae media, ita fuisset semper expressa distincte, ac a se exposta fuit, inde fuvari potuisse, qui olim contra Pelagianos, & nuper contra Lutheranos pugnaverunt, hoc nec D. Augustino, nec Concilio Tridentino injuriosum ab aliquibus vix censetur. Quid enim vetus, quispian subinde retet, quod erat traditum prius, sed non tantopere enucleatum; ut aliquid afferatur lucis iis, quae a SS. Patribus tradita sunt? Qui ni crescat in Ecclesia splendor &c. Expressus Sylvester MAUROLICUS lib. 5. Oceani Relig. citatus in Bibliotheca Scriptorum Societatis, hoc est in libro, qui cum a sacra Rituum Congregatione, ob reverentiam cusquam decreti, ab Urbano VIII. prius editi, primum repulsum passus esset; ejusdem Congregationis Secretario proponente, & ipsius Urbani iusta iterum examinatus est a R.R. DD. Julio Cencio, praesulato S. Congregationis Secretario, D. F. Alberto, tunc S. Inquisitionis Assessore, postea Cardinale, & D. Jui. Rosfigliuolo, tunc Secretario Brevium, postea Clemente IX. & post diligenter examinatum octo mensium examen, & habitum super eo Congregationem, approbatus est, addente Urbano, placere sibi hujus libri impressionem: in libro igitur, tanta approbatione manente, Maurolicus in doctrina Molinae distinctissime citatus, cujus, inquit, traditus DE AUXILIIIS partus, postus in fornace EXAMINIS PONTIFICII, & saepius igne probatus, & reprehensus est AURUM. OMNIBUS NUMERIS PURGATISSIMUM. Vide infra BOYVINUM Th. 14. Lit. 9.

XIV. (2) Quidam scientiam illam mediam, quam statuimus, atque ex suis principiis deduximus testimonioque SCRIPTURARUM immo & SCHOLASTICORUM corroboravimus, tamen non eo NOMINE tam appellat; impugnant, ac totis viribus &c. Molina libro de Conc. q. 14. ar. 11. disp. 53. membr. 1. (3) Lib. de dono perf. cap. 10. (4) Epist. 49. ad Deo gratias, quae 2. Item lib. de dono perf. c. 9. (5) De praed. SS. c. 9. & 13. Item de dono perf. c. 9. (6) Hanc scientiam mediam, quam PLURIMI EX ORTHODOXIS, maxime ex moderatis, admittunt, inter quos ex Scribis possunt numerari Philosophus Faber, Pontius Cavellus, & multi alii, respicere non vellem, cum malo modo Semipelagianismo faveat, & multum ad facilitatem providentiae Divinae, & libertatis creaturae conciliationem conducatur, sententiam contra Haereticos recentiores. Neque novitas nominis, apud veteres non auditi, ab illius introductione deterere debet, cum non sit curandum de vocabulis, modo res, per ipsa explere, Catholice instrui possint. Nec etiam dicendum est, talem esse scientiam mediam, quam Lnd. Molina se invenisse, jactat (ubi non

Eidem gratiarum distributioni præest Divina Voluntas. Si querat, *Ex duobus atque jam gaudibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur?* Respondemus cum Augustino: *Inscrutabilia sunt judicia Dei.* Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem; illi autem non donetur? Respondemus cum eodem Augustino: *Inscrutabilia sunt judicia Dei.* Et hoc est inscrutabile illud prædestinationis mysterium, quod quidem scientia media conciliat cum humana libertate; at quod e tenebris suis eruere, minime gloriatur. Prædestinatio illa, ex parte voluntatis, definitur adequate potest: Electio liberandorum, & præparatio mediolorum, quibus certissime liberentur: & si sumatur adequate, est ante omnem prævisionem meritorum; & quamvis eorum, ut possibilem, & futuribilem, cognitionem præsupponat; at est ab eis, in ratione principii influentis, penitus independens; est ergo summe gratuita, immo magis gratuita, quam si absque meritis liberis prædestinaret; plus enim dat, qui meritum dat primo, deinde coronam, quam qui coronam daret absque merito. Si ergo, ut supponunt adversarii, (1) totus est Augustinianus, qui gratuitam prædestinationem tenet, concludant ipsi, quales nos sumus, qualis sit Molina ipse, qui eam ex professo docet, & stabilit (2), nec imminui putat per pactum suum, (3) ab ipsomet alioquin prorsus rejiciendum. Nobis tale pactum non satis probatur.

non scitur; cum ipse Molina in loco mox citato lit. l. sit sufficienter oppositum attestatus) sicut Suarez contendat, ab Augustino ad nos perenniter fluxisse, esse non semper ita perspicue Theologis innovaverit; fuisse condemnatum a Clemente VIII. & Paulo V. hoc enim falsum est, ut clare patet legenti ea, que fuerunt acta in Congregatione de Auxiliis. BOYVINUS, inter Scotistas celeberrimus, de Deo uno C. 3. disp. 4. q. 12. Id. quod ultimum asserit, prohibuit nota in Th. 18.

XV. (1) Après tout, la vérité de la prédestination des Saints gratuite, certain, invariable étant une fois établie, le reste n'étoit plus qu'une DISPUTE DE NOM aussi bien, que les capitules, qui regardent la volonté générale de Dieu pour la salut des hommes, & la mort de JESUS CHRIST pour tous. Quales in Ecclesia a tot sæculis DE VOCE questionis! Historici observatio. Quo sensu hæc Traditionis Auctor scripserit, verba immediate antecedentia aperiant: *Tout monde admettoit la Prédestination des Saints ante prævisa merita, sans en douter le moins du monde. Mais Hincmar & Sacaballe ne pouvoient souffrir, qu'on admit une seconde prédestination des réprouvés à la damnation, c'est sur cela principalement, que l'on disputoit &c.* En igitur quæstio de nomine, que vertebatur. Et quelques uns même des adversaires d'Hincmar ne vouloient pas, que l'on fit du bruit dans l'Eglise, ny que l'on troublât les Esprits sur ces derniers points, a cause de quelques Peres, qui avoient parlé autrement sur ces questions, qui ne faisoient rien au fond... mais encore un coup la Prédestination des Elus étoit reconnue de tout le monde pour gratuite, & en l'admettant ON ADMET TOUTE LA DOCTRINE DE S. AUGUSTIN SUR LA GRACE, dont elle est la Base, & la Clé. Auctor Libri, cujus titulus, Tradition de l'Eglise Romaine sur la Prédestination des Saints &c. Part. 3. §. 39.

Historici Observatio.

Admissa nimirum prædestinatione gratuita, adæquate sumpta, que in Augustini sensu & destinationem ad gloriam, & simul media per se efficacia complectitur, secundam hanc ejus destinationem. Scientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. (2) Quod Deus hunc potius ordinem elegerit, quam alium, eumque executioni ex parte sua mandare constituerit, neque protinus quod in Christo hoc potius elegerit in vitam æternam, quam alios, neque item quod per Christum ea media iis conferre statuerit, per que prævidebat, eos pro sua libertate, aut aliorum, si essent, parvuli, perventuros in vitam æternam, NULLA DATUR CAUSA, RATIO, AUT CONDITIO, ETIAM SINE QUA NON ex parte usus liberi arbitrii ipsorum, aut aliorum prævisi, ob quam illos prædestinaverit, voluerit illis ea media, per que prævidebat perventuros illos in vitam æternam, aut ear potius hæc ipsa voluerit eis, quam alius, SED ID TOTUM IN SOLAM LIBERAM, AC MISERICORDIEM VOLUNTATEM DEI EST REFERENDUM, QUI PRO SOLO SUO BENEPLACITO ID ITA VOLUIT. Molina L. de Conc. qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 1. concl. 6. Quo quid expresse? Non minus tamen expresse, sed brevius ibidem §. Duo observa. Prædestinare, aut non prædestinare a solo Deo pro sua tantum libera voluntate pendet: Ita ubicumque se dat occasio. (3) Sic saltem Molina sentit, cujus hæc est circa pactum suum doctrina, Addendum est, inquit, quovisunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, pressio est ad conandum totum id, quod ex se se potest, tam circa ea, que sines habet addiscenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac justificationem, a Deo conferri gratiam præventivam, auxiliamque, quibus id facit, ut oportet ad salutem; NON QUIDEM QUASI EO CONATU DIGNUS EFFICIATUR TALIBUS AUXILIIS, ULTRA RATIONE EA PROMEREATUR, sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater æternus statuerunt de auxiliis, & donis, que nobis Christus promeruit, MERE GRATIAS conferendis, una, eoque maxime consentanea fuit, ut, quoties ex nostris viribus naturalibus conavimus facere, quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratis, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus &c. Lib. de C. qu. 14. art. 3. disp. 10. Quod posset in eundem prope modum explicari, quo communitim sententia docet, primam Angelorum gratiam a Deo, non quidem naturali Angelorum perfectioni, ut quid debitum, datam esse lingulis, tamen distributam secundum gradus naturalis conjuncte Angeli perfectionis, ex puro, & gratuito ipsius Dei beneplacito, ac dono.

Prædestinatio eadem, si sumatur inadæquate vel pro sola electione ad gloriam, vel pro sola præparatione mediolorum, utra præcedat alteram, quæstio est, ad prædestinationis gratuitatem faciens nihil: in quo videantur plures, quam hallucinantur; tantundem enim Deo debeo, five primo donet merita, quibus consequar deinde gloriam; five gloriam primo velit dare, deinde merita, quibus eam consequar. Quæstionem ergo solvet unumquisque, prout voluerit: nos de Deo melius sentire putamus, si dixerimus, neutram virtualiter intrinsece esse altera priorem, nec nisi unico, & virtualiter intrinsece indiviso decreto, Deum decernere merita, ut gloria causam, & gloriam, ut mercedem meritorum; neque ergo gloria ante, aut post, sed per merita decernitur; nec merita ante, aut post, sed propter gloriam decernuntur. Quod si, repugnante Divini decreti perfectione, extrinseca saltem, rationis distinctionem partialium decretorum, prioritatemque, non quidem in quo, sed a quo, velis inducere; tunc, si gloriam species ut finem, prior erit electio ad gloriam; si ut mercedem, sic poterit esse posterior, ut possit adhuc esse prior. Quare sub meliori titulo dices, simpliciter electionem ad gloriam esse priorem præparatione mediolorum, meritorumque prævisione. Cave tamen, ne eundem ordinem assignas Divina reprobationi; hæc enim sic est virtualiter intrinsece destinatio ad gehennam propter permissa demerita, ut si destinationem a permissione extrinsece distinguas, unamque velis altera esse priorem, destinationem sequi debeat permissionem, prævisionemque demeritorum; non contra. Quare ex non electione ad gloriam inferatur

retur quidem immediate permissio demeritorum; at non, que permissionem consequitur, destinationem ad gehennam: Gratia efficax sic sunt effectus prædestinationis, ut non solis dentur prædestinationis; accedat enim insuper necesse est gratia perseverantia. Hæc non magis cadit sub meritum, quam ipsa prædestinatio: potest tamen adultus ad illam, non ad hanc, se disponere.

XVII.

Plurquam lynceos habeat oculos, necesse est, quisquis in doctrina, hæctenus exposita, deprehendat quidquam, quod ad Pelagianismum, aut Semipelagianismum pertinet. At an ista, inquit forte quispiam, est gratia, de qua actum est in Congregatione de Auxiliis? Eandem prorsus esse, evincunt propositiones Corollarii 7. & 8., confirmant Decreta Aquavivæ, & Virellæ, nobis eam ad rem minus prudenter objecta. (1) Quid ergo ad Constitutionem Grægis dominici Pauli V. Huius Constitutioni, sicuti & editis Congregationis actis, fidem omnem abrogavit Decretum Innocentii X., prohibetque, in ullam partem allegari: nos ergo nec Constitutioni fidem damus, nec allegamus eam in tutam doctrinam. At, estis fides dari posset, aut ipsa allegari; videant adversarii, an foret nobis detrectanda. Hanc adterias ab nonnullis intentam, inter acta tamen Congregationis, pluries ab ipsidem excusa, non editam, mirum erat; sed mirum esse desinit, ubi venit in manus. Id suboluerat Auctori recentiori, (2) cum timere visus est, ne vel in nostras partes Acta Congregationis aliquando flecteremus. At quid flecti ea oportuit, cum Constitutio ipsa, a qua sola vim habere possent, gratiam prædeterminantem, in eo quidem sensu approbat, in quo eam ultro, quoad rem, admittimus; at reprobat, in quo rejicimus, nostramque loquendi modum asserit convenientius adhiberi? quod ne sciam esse, suspicetur forte quispiam, verba Constitutionis, prout circumfertur, subjiciamus.

XVIII.

CAP. 6. DE MODO MOTIONIS GRATIÆ. Quando Catholicis quidam ita exprimentur, quod Deus ad actus liberos salutaris voluntatis hominis physice prædeterminet, non aliud eo loquendi modo significare volunt, quam quod Deus per virtutem, quam, efficax sua gratia voluntatem hominis asserendo, subministrat, sic eam inclinet,

XVII. (1) Ab Auctore Trad. Romanae &c. Tom. 2. part. 2. §. 37. (2) Eidem Auctori Tom. 3. part. 2. art. 3.

XVIII. (3) Eadem Constitutio non minus admittit, & si qua ei vis inesset, quam tamen omnem ei abrogatam ab Innocentio X. iterum profertur, non minus confirmaret scientiam nostram, saltem contra Thomistas, contra quos solos erat tunc temporis hæc scientia propugnanda. Decretum inquit c. 9. prædeterminatum operis salutaris, cum se habeat antecedenter ad præscientiam Dei de consensu hominum absolute futuro, etiam præsupponit in Deo scientiam, que ANTE OMNEM ACTUM LIBERUM sine voluntatis, quo de actibus hominum ad salutem permanentibus, quid quam decernat, sic cognoscit, quid possit tam gratuita virtus auxiliatorum, seu gratie in quolibet certum gradu, quam naturalis possibilitas liberi arbitrii uniuscujusque hominis in quibusvisque circumstantiis, ut id cognoscendo, prout perfectio sue providentiæ ratio exigat, PRÆSCILAT, sub insuperabili conditione sui actus, qualia, si velit ipse dare, auxilia, futuram ut is consentiat, cui dantur. En scientiam liberorum conditionatorum ante omne decretum, atque adeo & ipsissimam scientiam medium, quam Thomistæ negant hæctenus, nos asserimus, ut exilientem, & necessariam ad conciliationem humane libertatis cum efficacitate gratiæ, & gratuita Sanctorum prædeterminatione. Alteram enim, quam subjicit, & reprobat Constitutio, nos nec admittimus, & reprohamus, cujusmodi fuerit, etiam Molina: at quomodo Molina, cum scientia ista sit de consensu, ad salutem permanentem, futuro non ex efficacia decreti, & auxiliantis gratiæ, sed pro innata libertate humane voluntatis: hæc tamen sit Molina secunda conclusio fundamentalis: Liberum arbitrium, sine speciali auxilio, aut dono supernaturali Dei NIHIL possit, nisi supernaturali QUOQUO MODO commensuratum. Quam conclusionem sic falsus explicat: Liberum nostrum arbitrium, cum solo concursu Dei generali, NIHIL efficere potest, non solum quod vitam æternam, aut gratiam incrementum promeretur, sed neque quod tanquam ordinem ad finem naturalem transcendens, commensuratum cum sine supernaturali aliquo modo sit, etiam tanquam REMOTA DISPOSITIO ad gratiam, tam ex parte voluntatis, quam intellectus, sed ad id omne indiget auxilio, & ope supernaturali, Lib. de Conc. qu. 14. art. 13. disp. 6. &c.

Hæc autem omnia dicta sunt, non tam ad alienam de gratia doctrinam impugnamdam, quam ad nostram, hand satis omnibus notam, explicandam, & vel sola sui explicatione non leviter apud peritos, æquosque judices, ut speramus, stabilendam.

atque applicet ad hujusmodi actus, ut non tantum metaphoricè, seu moraliter ipsam moveat, sed etiam physice, id est, operatione, vere, & proprie activa efficiat, hominem ad eorum actus se determinare: in qua sensu qui negant, Deum efficaci sua gratia determinare, seu prædeterminare hominis voluntatem, errant quidem illi. Nos minime negamus, immo asserimus: Gratia enim cooperans semper est efficax, five metaphoricè influat, five realiter, & physice, & quidem tanquam causa principalis, in opus salutare; immo nec ipsi gratia præveniendi, etiam ut præveniendi est, talem influxum, seu motionem denegamus; & in eo passum se esse calumniam, merito conqueletur est Molina. Verumtamen, quod ad loquendi modum attinet, quo dicitur Deus physice voluntatem prædeterminare, seu determinare, in quantum expositus est alicui alicui sensui, qui adversatur humane voluntatis libertati, in tantum minus convenienter adhibetur ad explicandum dogma de efficaci operatione, seu præoperatione Gratia. (3) Et hic est sensus, libertati repugnans, quem nos impugnamus; quem adversarii tuerentur, si a nobis dissentiant; & cujus suspensionem ut a se avertant, desinantque recentioribus hæreticis præbere clypeum defensionis, convenientissimè agentur, si nobiscum & sentirent, & loquerentur.

Harum Thesium veritas, auspice Deo, & favore Deipara Virgine, propugnabitur in Aula majore Collegii Rhemensis Societatis JESU, die Mercurii 13. Augusti, anno Domini 1692. hora post meridiam prima.

Ex Typis Joan. Multeau.

JESUITARUM RHEMENSIVM

Theses Theologicæ de Gratia.

5. Decembris anno 1696.

DE GRATIA IN GENERE.

I.

De natura Gratia.

GRATIA strictè sumpta potest in genere definiri: donum supernaturale, anime inherens, eique concessum ad consequendam visionem bea-

beatificam, Rationem supernaturalis inde sumit, quod omnes vires, omnemque exigentiam naturæ creatæ, aut creabilis superet. Dividitur præcipue in actualem, quæ datur per modum actus transeuntis, & in habituales, quæ per modum habitus permanet. Potuit homo creari sine ordine ad utramque, & sine dono integritatis, quo appetitus rationi subiceretur, & tamen esse immunis a peccato; adeoque possibilis est status naturæ puræ, licet revera nunquam fuerit.

I I.

De necessitate Gratia ad actus naturales.

Homo in natura pura potuisset, sine auxilio supernaturali, elicere actus honestos, & assequi beatitudinem, suo statui convenientem: nunc vero quid possint, intra limites naturæ, liberi arbitrii vires, concursu ordinario adjutæ, & quousque possint se extendere, non tentabit prudenter definire privatus Theologus. Illud vere asserimus, non extinctam esse in præfenti statu libertatem indifferentiæ, nec ita infirmitas esse per peccatum animæ potentias, ut propriis viribus nullam veritatem naturalem cognoscere, nullam, quantumvis levem, tentationem superare, nullum opus moraliter bonum patrare possit, si non desit auxilium connaturale.

I I I.

De necessitate gratia ad actus salutaris.

In quolibet statu, ad actus salutaris ita indiget homo supernaturali gratia compleri, ut sine ea preveniente, & adjuvante, non initium fidei, non volitionem fanitatis, non quantumcumque conatum, quo se a peccato liberet, habere possit. Diversum tamen fuit auxilium pro diversis statibus naturæ innocentis, & lapsæ. Ita adjuvabat primum hominem ante peccatum, ut ipsius voluntati, propriis viribus agenti, consensus speciali modo tribui jure possit. In natura lapsa, voluntas infirmior facta sic eget corroborari, & sanari per gratiam, ut ipsi gratiæ speciali titulo meritum tribuatur. In primo dicitur ab Augustino, *Auxilium sine quo*, in secundo, *Auxilium quo*.

I V.

De causis Gratia.

Deus, omnium largitor munerum, solus physice gratiam producit in ratione cause principalis, solus eam in cordibus nostris infundit; Sacramenta sunt veluti canales, & vasa plena sanguine Christi, per quæ in nos derivatur; producant illam ex opere operato per influxum dumtaxat moralem, ut actiones moraliter Christi, qui est causa meritoria omnium, quæ ad salutem nostram conducunt. Homo quoque eam meretur, licet minus principaliter, per actus supernaturales; de condigno quidem, si a justis proveniant illæ actiones; sin minus, de congruo tantum. Prima tamen gratia actualis, utpote principium omnis meriti, nullatenus potest cadere sub meritum.

V.

De modo operandi Gratia.

Gratia non solum moraliter influit in consensum, alliciendo, & inclinando volunta-

tem, sed verum habet, & proprium influxum physicum, quo elicit omnes actus salutaris, eoque cum libero arbitrio per unam, indivisibilemque actionem producit. Cum sint duæ causæ partiales boni operis, licet in diverso genere; neutra seorsum potest agere sine confortio alterius, neutra prius, aut posterius agit in consensum. Quod non impedit, quominus aliqua prioritas gratiæ tribuatur, in quantum applicat voluntatem ad agendum, eique vires subministrat, cum ipsa nec a voluntate applicetur, nec ab ea virtutem recipiat.

V I.

De effectibus Gratia.

Effectus gratiæ est gloria cœlestis, ad quam Deus eodem etiam virtualiter indivisibili actu prædestinat, quo prædestinat bonos actus; unde nec preparatio mediæ est prior prælectione ad gloriam, aut vicissim; nisi forte respectivo ad nostros conceptus, quod levis est momenti. Prædestinationi ad gloriam, & ad gratiam præluet scientia-media; nec ideo tamen est minus gratuita, cum Deus ad illam nullis meritis humanis moveatur, sed tota ratio, cur unus præ alio ex massa perditionis extrahatur, sit sola bonitas Divina, de cujus prædilectione, ut nemo juste potest gloriari, ita de derelictione nemo potest merito conqueri.

DE GRATIA IN SPECIE.

I.

De natura Gratia Actualis.

AUXILIA actualis gratiæ prævenientis, in hoc statu naturæ lapsæ, constituentur adæquate duobus præcise actibus vitalibus, quorum primus est illustratio intellectus, objecta proponens, alter est pia motio voluntatis ad bonum alliciens: per primum apparet, quod latebat; per secundum suave fit, quod non delectabat: qui quidem actus in nobis, sine nobis libere concurrentibus, a Deo producuntur. Præter duos illos actus, nulla admittenda est qualitas mortua cujuscumque generis, in anima recepta, per quam voluntas proxime compleri indigeat, quæ instructa his duobus solum exigit concursum Dei in actu primo, seu Dei omnipotentiam paratam ad concurrendum.

I I.

De Gratia actuali sufficiente.

CUM Christus Redemptor pro omnibus, & singulis pretiosum sanguinem fuderit, nullus est, cui media ad consequendam salutem negentur; adeoque adultis omnibus, rationis compositibus, sive sint in sinu Ecclesiæ, sive sint infideles, dantur gratiæ actualis, quibus possint servare præcepta, quorum transgressio non est impunita, nisi fuerit potentia ea servandi. Quin etiam, tanquam Divinæ misericordiæ, & bonitati magis consentaneum, existimamus, impios, & sceleratos non destitui omnimode auxiliis, & nullum esse ita induratum, cujus cor Deus non pulset inspirationibus suis: *Nemini enim*, inquit Prosper respons. ad obj. vinc. *correctionis admittit viam, nec quemquam boni possibilitate despoliat.*

I I I.

I I I.

De Gratia actuali efficaci.

Gratia efficax est speciale Divinæ benignitatis donum, quod, cum Deus largitur, habet infallibilem connexionem cum consensu. Ejus efficacia non provenit ab aliqua vi, ita necessario trahente voluntatem ad bonum opus, ut sit ipsi impossibile ponere dissentium; non etiam ab aliqua qualitate physice prædeterminativa, qualem Thomistæ admittunt; sed dicitur efficax ex eo, quod Deus eam nobis largiatur per decretum prædefinitivum actus boni, & eam concedat in iis circumstantiis, in quibus, præluente Scientia-media, prævidit, quod, si daretur, habitura esset effectum: unde a solo Deo provenit, quod quis gratiam efficacem sortiatur.

I V.

De Gratia mere sufficiente.

Dantur gratiæ mere sufficientes, non in sensu novorum Dogmatistarum, qui, ut imperitis illudant, ejusmodi auxilia verbo tenus agnoscunt; sed tales esse admittimus, quæ non fortiantur effectum, quem possint habere, licet ex parte Dei nihil desit, quominus voluntas habeat potentiam, ut in bonum prorumpat: tales igitur gratiæ sunt simul inefficaces, & tamen compleunt voluntatem ad recte operandum, aut saltem ad precibus impetrandum auxilium, quo proxime disponamur ad bonum opus: quod opus cum abest, illud in solam hominis perveritatem refunditur, qui gratiam suo effecta frustratur, dissentiendo, & abiciendo illam, cuique potest recte cum Propheta dici: *Perditio tua ex te, Israel.*

V.

De Gratia habituali.

Datur in justis gratia habitualis, formaliter sanctificans, inhærens animæ, & ab ea, eisque actibus, nec non a virtutum habitibus insusis realiter distincta: per eam Deus omnem eluit peccati maculam in anima, facit hominem suæ quodammodo naturæ participem, evehit ad dignitatem Filii Dei adoptivi, dignificat opera, quæ in tali statu fiunt, & tribuit jus ad hæreditatem cœlestem, cuius est veluti semen. An possit Deus sine illius infusione remittere peccatum mortale, sine ullo opere pretio disputatur a quibusdam Theologis, cum certum sit, remissionem peccati mortalis & infusionem gratiæ sanctificantis nunquam de facto separari.

V I.

De intensione, & amissione Gratia habitualis.

Gratia habitualis est capax intensiois, & augmenti; & revera augetur per productionem novorum graduum, quos Deus prioribus addit, quotiescumque iusti bonum aliquod opus exercent, aut Sacramenta cum debita dispositione suscipiunt. Non item est capax remissionis, sed vel tota perit, si adveniat, animam aliquo peccato mortali contaminari, cum quo gratia tantam habet oppositionem, ut, ne Divinitus quidem, cum ipso possit compari in eodem subiecto; vel si sit veniale dumtaxat peccatum, tota remanet, cum aliquo tamen detrimento acciden-

tali, nempe cum aliqua imminutione in fervore caritatis, quo imminuto, anima tepescit.

DE VARIIS CIRCA GRATIAM OPINIONIBUS.

I.

De Sententia Ludovici Molina.

DOCTRINA Ludovici Molina, aliorumque Theologorum, qui concordiam libertatis humane cum gratia Divina ope Scientiæ-mediæ tradere enucleatius, tentarunt, ita ab errore Calviniani, aliorumque hujus ætatis sectatorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullo modo accedat. Et ideo tam valide impetita, toties a diveris generis hostibus impugnata, & coram Summis Pontificibus tam diligenter agitata, *Tanquam aurum in fornace probata, purior inventa est, ut ait Maurolicus*; & cum honore ex tot disputationum fluctibus emerit.

I I.

De Hæresi Pelagiana.

Pelagiani in variis errorum scopulis circa gratiam impegerunt. Ac primo quidem ipsius gratiæ nomen respuebant, omne donum, a creatione liberi arbitrii distinctum, resicientes; deinde ut Doctrinæ suæ virus versipelles hæretici absconderent quoquo modo, gratiam aliquam, ad actus salutaris necessariam, admiserunt; sed exterram dumtaxat, positam in lege, aut exempli Christi: quin etiam eo devenerunt, ut gratiam internam agnoscerent, sed quæ illustraret intellectum, voluntatem nullo modo moveret. Ac tandem, si quam aliam gratiam concederent, eam volebant ad facilius operandum tantummodo conducere. Quos errores, ab Augustino tot annis debellatos, multi Pontifices Romani, variæque Synodi anathemate confixerunt.

I I I.

De Hæresi Semipelagiana.

Non is est Semipelagianorum error, quem novi Dogmatistæ ipsis affingunt, qui inter illorum pravæ doctrinæ recentem veritates pleræque Catholicas, a quibus recedere sit nefas, quales sunt, Christum pro omnibus esse mortuum, auxilia omnibus ad salutem esse oblata, & gratiam dari, quam voluntas humana posset respicere. Sed in eo errarunt, quod ad aliquam piæ credulitatem, quæ esset initium salutis, vires liberi arbitrii sufficere docerent. Quam doctrinam viri, tum pietate, tum doctrina insignes amplexati sunt, donec a Synodis, & Summis Pontificibus damnata cepit pro hæresi haberi, & ab omnibus deseri, salvo tamen fautorum suorum honore.

I V.

De Hæresi Prædestiniana.

Non esse scitiam, ut quidam volunt, Prædestinatiois hæresim, convincit Concilium Arelatense, quod eam a Lucido Presbytero & paucis forte aliis, non magis nominis viris, hautam ex scriptis Augustini, in pravum sensum

sum detortis, damnavit. Illam penitus extinctam saeculo nono renovavit Gottschalkus, a Rabano Moguntinensi, & Hincmaro Rhemensi, Archiepiscopis, in Synodis Moguntina, & Carisiaca iuste damnatus. Inter eorum errores ille praesentem materiam praecipue spectat; Quod mortuum Christum pro omnibus, & voluntatem Dei circa salutem omnium, per collationem gratiae, negantes, aliquos ad malum praedestinos, afferrent.

V.

De Heresi Lutherana, & Calviniana.

SEctariorum hujus temporis Doctrina tantam gratiae Christi injuriam infert, quantum se illius dignitatem extollere, & partes tueri, jactant. Eius largitionem, ut judicetur majoris pretii, ad paucos restringunt; benignitati Divinae terminos injuste praescribentes. Ut majorem ipsi tribuant virtutem, sub ea facere liberum hominis arbitrium, praedicant. Denique nil ita horrent, quam gratiam talis naturae; ut cum ea maneat salva libertatis indifferentia, quamque voluntas amplectatur, aut deserat, si velit, cui consentire, aut dissentire, habeat in potestate. Quem etiam in primis errorem, ut Christianae sollicitudini maxime oppositum, Tridentina Synodus damnavit.

V. I.

De Heresi Janseniana.

Janseniana circa materiam gratiae doctrina non tam nova haereticis, quam Calviniani, & Lutherani erroris infelix foetus dicendus est, sub specioso Augustini nomine fidelibus propinatus. Ex sectariorum libris saepe, ne mutatis quidem vocibus, hausta videtur; cujus auctores in eo suis antesignanis sunt similes, quod Augustinum sibi optime perspectum, totumque suum esse, caeteris Ecclesiae Patribus neglectis, falso gloriantur; & quod Pelagianismum Scholasticis exprobrent, eo modo, quo Calvinus eandem calumniam Concilio Tridentino, & Sorbonicis Doctoribus intulerat; Quique proinde anticipata damnatione cum suis duobus in Concilio Tridentino percussis, iterum Pontificum decretis confixi sunt.

Haec Theses, Deo duce, & auspice Deipara, propugnabuntur in Aula majore Collegii Rhemensis Societatis JESU; die 5. Decembris, hora post meridiem prima, anno 1696.

Rhemi, ex Typis Viduae J. MULTEAU.

JESUITARUM RHEMENSIVM

Theses Theologicae de Deo.

17. Decembris ann. 1696.

DE ESSENTIA DEI.

I.

DEUM existere qui ignorat, rationis non est compos; qui dubitat, culpae non est expers; qui negat, scelus admittit. Esse autem reipsum demonstratur, non quidem per causam, cum nulla Deus habeat, aut saltem per effecta,

quae habet certissima; & notissima. Haec si conceditur; hanc propositionem, Deus est, non esse ex iis, quae per se nota dicuntur, fatendum est: quae enim per se nota sunt, per alia demonstrari, quid necesse est? Nec dissentiant SS. Patres, ut non nemo existimat; cognitionem enim Dei facillimam quidem esse, docent, & evidentem, at non ex terminis notam. Unicum vero esse Deum adversus Marcionitas, Valentinianos, Manichaeos, & ex ipsis Ethnicis adversus Ethnicos demonstrant: hos praeterea ratio refellit; illos & ratio, & fides.

II.

CIRCA simplicitatem Dei alii crassius errant, alii subtilius. Priorum antesignani sunt Aegypti Anthropomorphae, Deum corporeum esse opinantes, quibus proximi sunt, si non iidem, Audiani: istos tamen excusat Epiphanius; illos Cassianus, & alii. Utrisque longe ante praeverat, si Origenem credimus, Melito Sardinensis, at non Tertullianus; quae enim ab eo proferuntur, minus commode dicta, facile, Augustino praevente, explicantur. Crassioribus istis non multo acutiores annuero Graecos Palamitas, essentiam Dei & lucem quandam, quae sit Deus, distinguentes; hancque a se oculis aspici, & naribus effari, dum certum quandam corporis habitum assumunt, impie juxta, ac stolidè garrientes. Subtilius erravit Gilbertus Porretanus, Divinitatem, quae non quae Deus esset, a Deo sejungens: cujus error, a Bernardo confutatus, in Concilio Rhemensi damnatus fuit. Ab eo ut recedamus, nullam in Deo, praeterquam in Personis, distinctionem realem admittimus, aut formalem ex natura rei.

III.

DUM a Gilberto receditur, ne in Aetium, & Eunomium imprudenter incuratur, cautio est. Si attributa Dei omnia, nullo modo, ne cogitatione quidem, ab essentia discrepare, existimantes, unum in iis vocum discrimen agnoscebant. Quibus affines videntur ii Theologi, qui Nominales dicuntur, & qui cum Nominalibus sentiunt, nulla alia ratione attributa Divina a se invicem differre, quam quod alia aliis magis expresse rem eandem significant. Istis omnibus opposita est vera sententia, quae diversos esse attributorum conceptus docet, atque adeo synonymis vocibus ea minime appellari. Nec istud quicquam Divinae simplicitati nocet, ut Anomei somniabant.

IV.

AT summam illam Dei simplicitatem nunquid laedit propositio illa, quae est ex genere, & differentia? Laederet, si esset Physica quoquo modo: nunc autem non ita est, sed Logicam tantum admittimus, quae nullam imperfectionis labem in Deo denotat. Deus itaque a nobis desinitur, Spiritus a se. Illud autem, a se, cum audis, non modum quandam, aut affectionem substantiae, sed fundum perfectionis intellige, quo Deus sibi ipse sufficiens est, ut sit, atque esse per se exigit. Ita de Anomaeorum Ingenito, ad denotandam Dei essentiam, a Patribus reprobatum, adversum nos non praescribes. Illam autem nullum aliud nomen magis proprie significat, quam Hebraicum illud, quod Tetragrammaton dicitur. Sed quoniam sit vera ejus pronuntiatio, disputatur. An Jehova est, an Jao, aut Je-

ve?

ve? Nequaquam. Quoniam igitur? Respondeo, illam esse funditus ignotam.

V.

AEtiam impia, & execranda vox fuit, Deum se viribus ingenii, ac naturalis facultate tam exacte nosse, quam is se cognoscit ipse. Quam impudentem, & sceleratam jactantiam & Patres unanimiter confutarunt, & Fides Catholica, in Concilio Viennensi stabilita, coarguit, dum docet, nullum intellectum creatum naturaliter Deum videre posse: quod & de intellectu quoocunque, qui creati posset, dicendum est. Nulline autem veterum Patriarcharum, aut Prophetarum beatifica illius visionis usus aliquis, vel perbrevis tempore, concessus est? Nulli profusus, ne Moysi quidem. Multo minus piis hominibus nunc coruscamina illius quaedam, etsi rapida, & momentanea, concedi, probabile est. Deum vero oculis corporis videri non posse, multo certius est. Ea de re tamen dubitasse Augustinus videtur. Quidquid sit, epistolis ejus standum, in quibus veram sententiam exponit, ac probat.

VI.

UT naturaliter a nobis videri non posse Deum, ac corporis oculis, certum est, ita supernaturaliter, atque oculis cordis videri posse, Christianus ambigit nemo. Dubitatum est autem antiquitus, an statim ab interitu, labis omnis expertes animae Dei visione donarentur. Proprius fuit Chiliastrum error, post ultimam omnium resurrectionem, in terreno quodam regno, mille annis, Sanctos cum Christo detinere, ut ex visione Domini assuiscerent capere gloriam Dei Patris. Ita loquitur Irenaeus, hac opinione imbutus, cujus auctorem Papiam, multosque ex veteribus ejus suffragatores recentet Hieronymus. Alii magni nominis, nec e Millenariorum numero, SS. Patres, in abditis quibusdam receptaculis sancto- rum animas ad extremum usque judicium retinere, inveniunt. Quamvis autem eas non prius Deum visuras, sentierit Joannes XXII. PP. nihil tamen ea de re fanxit, immo hanc opinionem ante mortem exiit. Licuit olim sic opinari. Nunc post Florentinam, & Tridentinam Synodos, dogma est Fidei Catholicae, sanctos visionis Dei esse compotes. Illius tantum in Scholis inquiruntur principia, quae tria a nobis assignantur, Deus, intellectus creatus, & lumen gloriae. Speciem Dei impressam, aut expressam nullam dari posse, censemus, & ut possit, ad videndum Deum inutilem illam, putamus.

DE INTELLECTU DEI.

I.

QUocunque Deum non negat, intelligentem eum fateatur, necesse est. Quisquis autem ea de re differentes audierit SS. Patres, quin intellectum in eo proprie dictum agnoverint, non dubitabit. Is, utpote omnium longe perfectissimus, hanc vim, ac virtutem a seipso habet, ut sit species intelligibilis cujuslibet objecti, illudque immediate representet. Quod si honorificentius etiam de Divino intellectu loqui placet, eum tantae esse virtutis, necum dices, ut praecisa omni specie intelligibili, omnia in seipsis cognoscat. At nunquid hoc est, Divinam scientiam ex rebus ipsis duci, atque hauriri, quod negant SS. Patres? Nimium, quantum absumus ab

Serry Tom. II.

ea opinione. Habet a seipso Divinus intellectus, ut omnia intelligat, nihil a rebus ipsis mutuatur: illae ad eum rationem habent termini tantum, non vero causae, aut motivi cujuscumque.

II.

MULTIS partibus scientia Divina creatis omnibus antecellit. Non est qualitas, aut accidens aliquod, Divinae superfluum substantiae. Non est multiplex, sed simplicissima. Nihil in ea est varium, aut mutabile, cum ad immutabilem Dei essentiam pertineat. Nec humanum imitatur discursum, cum sit perfectissima: discursus autem noster, etiam qui virtualis proprie dicitur, sit imperfectus. Omnia demum complectitur, ac in numero habet, quae sunt, quae fuerunt, aut futura sunt, quaeque esse possunt. Hinc multiplex apud Theologos illius Divisio. Celeberrima est, quae illam in scientiam simplicis intelligentiae, & scientiam visionis partitur. At an sit adaequata, quaestio est, pene tota de voce. Hoc unum ajo, si per scientiam simplicis intelligentiae, solum intelligentiam necessariam, per scientiam visionis, solum liberam; divisio ista non est adaequata: est enim quaedam alia in Deo scientia, quae nec est necessaria, nec libera, sed naturalis; contingens tamen, quaeque idcirco Media convenienter appellatur.

III.

EST unica sit, simplexque reipsa in Deo, tam quae simplicis intelligentiae, quam quae visionis scientia appellatur; ambae tamen dotibus, ac munis plurimum inter se discrepare intelliguntur. Illa, quae fieri possunt, immo etiam quae non possunt, cognoscit; ista, quae certae jam sunt affixa temporis differentiae, contemplantur. Illius est, ordinare res, antequam fiant, ac voluntati Divinae faciem quodammodo praeferre; istius, res easdem, voluntate Divina jam designatas, quasi praesentes intueri. Illa itaque recte causa rerum effectrix dicitur; haec non item, nisi forte quatenus potior illam includit. De scientia autem visionis cum speciatim quaeritur, an causis liberis necessitatem afferat, una est Catholicorum omnium responsio, nullam ab ea inferri. At cum ab istidem quaeritur, in quo futura intueatur, in varias partes abeunt: alii enim ajunt in folis decretis; nos aut non in iis, aut non in folis, sed praeterea in seipsis futura videri a Deo, affirmamus.

IV.

DE Deo non, ut par est, sentiunt, qui liberorum sub conditione futurorum cognitionem ei denegant. Magnis praeterea sese difficultatum ambagibus implicant, a quibus haecenus se feliciter explicuit illorum nemo. Clarissima enim exempla, quibus inesse Deo hujusmodi cognitionem, Scriptura demonstrat, alienum omnem sensum, quem ipsis assignere sunt conati, profusus respuunt. Inter eos autem, qui scientiam illam conditionerum agnoscent, multum aberrant, qui ea, in causa spectata in actu primo, cognosci posse, opinantur. Sunt, qui decreta conditionerum adhibent; sed parum, ut videtur, apposite. Quidquid sit, certum est, non in iis futura illa cognosci, sed etiam in existentia ipsiusmet liberi futuri sub conditione. Quod postremum si approbas, scientiam conditionerum Mediam facis, quam ad Divinos quoque actus pertinere, sententaneum est.

Bbb

V. Qui

V.

QUI scientiam illam Mediam, a Semipelagianis primum investigatam, a D. Augustino reprobata, affirmant, ii, quis fuerit ea in re Semipelagianorum error, aut non vident, aut videre se dissimulant, Augustinum aut non legunt, aut ad eum legendam præjudicatam opinionem attulerunt. Is in libro de Dono perseverantiae, ut ceteros taceam, eam luculenter approbat, & ad gratuitam Dei electionem demonstrandam, ea, tanquam invicto argumento, utitur. Idem plane est illius apud nos usus; gratuita enim prædestinationi explicandæ unice deservit, qua parte tamen mysterium tantum explicari potest, ac debet. At non ita Semipelagiani, apud quos nulla, nisi ex meritis, & quidem, quoad fidei initium, naturalibus, erat prædestinatio. Hanc ut in ipsis pueris, suscepto, aut non suscepto Baptismo, morientibus, statuerent; futura, si diutius vixissent, nescio quæ illorum merita comminiscerentur, quorum rationem in illis prædestinandis, aut reprobandis Deus habuisset. Absurdum itaque illud commentum, quo bona, aut mala merita nunquam futura, premio tamen, aut poena affici dicuntur, merito in Semipelagianis istis damnat Augustinus, & perversum scientiæ, quam in eo fingendo subvertebant, absoluta potius, quam conditionalis abusum.

V I.

HIC ab erroris istius suspitione vindicandi mihi sunt primi omnium Lirinentes Monachi, quorum beatam insulam, magnorum fere omnium illius ætatis virorum altricem, nonnulli male, tanquam hæresis Semipelagianæ cubile, designant. Illos inter nobilissimus Vincentius aureum adversus hæreticos edidit libellum, quem qui adversus Augustinum editum volunt, dum levibus suspitionibus nimium indulgent, gravem Augustino irrogant injuriam. Hunc ordine sequitur, quamvis dignitate prior, Hilarius Arelatenfis, quem etsi ab Hilario, Epistola ad Augustinum auctore, diversum censeam, ab omni tamen Semipelagianæ labe purum fuisse, existimo. Qui in Valeriani Cemelienfis homiliis labem illam agnoscit, tandem in scriptis Hilarii, Chryostomi, & Hieronymi agnoscat, necesse est. Ennodium Ticinensem nihil aliud Semipelagianismi reum apud quosdam fecit, quam quod Prædestinationum errorem scriptas habere in fronte blasphemias dixerit. Hoc vero laude dignum erat, non contumelia. At quid de Cassiano, quid de Fausto dicemus? Ipsos Semipelagianorum duces fuisse, antiqui diserte testantur, & ut fideant, ipsi sese proprio iudicio produunt, ille Collatione XIII., hic Libro de libero arbitrio. Non est itaque, quod quis apologiam pro iis velit scribere: fanctis tamen, & clari nominis Viris licet reverentiam deprecari.

DE VOLUNTATE DEI.

I.

CUM DEUS sit summe potens, summe intelligens, voluntate præditus sit, necesse est. Quodnam vero sit objectum ejus motivum, non multum inquirendo laborabit, qui eam penitus non ignorat. Infinitam autem esse voluntatem Divinam, actumque ejus infinitum, omnes norunt: a solo itaque objecto infinito moveri potest. Conclinet illam Chryostomus in primam,

& secundam dividit, & ex eo Joannes Damascenus explicatus in antecedentem, & consequentem. Prima rem ipsam spectat, altera rem, & quæ illam circumstant. Hos secuti Hugo Victorinus, & Petrus Lombardus, voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi, primi distinxerunt. Illa rem quamcumque designat, semper præstat, atque obtinet; hæc, quid fieri optet, indicio aliquo tantum demonstrat.

I I.

IMPERFECTI est artificis, alio finem, alio media voluntatis actu decernere; perfecti, omnia simul, & semel statuerent. Deus itaque, cum sit præstantissimus artifex, uno, eodemque decreto finem simul, & media decernit. Hinc nullus inter ejus decreta ordo realis est, nullus virtualis intrinsecus; extrinsecus neque necessarius est, neque certus. Indubitarum porro est, Deum velle, saltem antecedenter, Omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc tota cum Apostolo testatur antiquitas Græca, & Latina. Nec dissentit Augustinus, qui a Patribus cæteris, ultra in re paulo gravioris momenti, nunquam dissentit. Quas itaque aliquando asserit, Apostolici loci explicationes non litterales, litteralem non excludunt, quem ipse alias adhibuit, & post eum Discipuli ejus, Prosper, & Primasius. Cæterum Deum absolute decreto quodcumque opus bonum prædestinare dicimus; non tamen hominis voluntatem physice prædeterminare.

I I I.

UTRIQUE Catholice professionis modum exceperunt, Prædestinatiani, & Semipelagiani; dum illi plus æquo, isti minus, quam par erat, prædestinatiani Dei decreto tribuerunt. Sed Semipelagianorum errores, & sectam nullus non agnoscit. Quidam, fuerint unquam Prædestinatiani hæretici, contra veterum omnium fidem, in dubium revocant. Erroris Prædestinatiani exordia quædam primum apud Monachos Aduemetinos ab Augustino ipso deprehensa sunt. Mox per Gallias cepit malum serpere, obvultente contra inter cæteros Prospero, ejus professionem Romanam & Cælestiam ab eo impetratam ad Gallie Episcopos Epistolam, illuc quoque pertinuisse, probabile est. Certe Prædestinatianus paulo post in sectam coaluisse, & Prosperi alterius Chronicum testatur, & auctor Prædestinati luculenter docet, sive Primasius is sit, sive Arnobius junior, seu quicumque alius. Adeo demum illorum numerus crevit, & audacia, ut Episcopali auctoritate compescendi fuerint. Id factum in Arelatenfi triginta Episcoporum Concilio, in quo Lucidus Presbyter, Prædestinatianorum antesignanus, errores suos dato libello damnavit, ipse alioquin damnandus. Iisdem hæreticis quinquaginta circiter post annis Synodus Arausiana II. anathema dixit.

I V.

PRÆDESTINATIONUM hæresim nono sæculo Gothefcalco instauravit, primum per litteras a Rabano confutatus, mox ab eodem in Moguntina, tum ab Hincmaro in Carisiaca Synodo damnatus. Cum autem epistolis, aliisque scriptis, ætatis suæ eruditus in sententiam pertrahere conatus esset, ab aliis nihil responsi obtinuit: a Servato Lupo, qui cum Ferrariensi idem est, & Ratramno Corbejensi, non quale optasset, accepit: ab Amolone vero, Archiepiscopo Lugdunensi,

JESUITARUM PARIENSIVM

THESES

DE GRATIA CHRISTI
SALVATORIS.

21. Februarii anno 1685.

I.

RELICTA regia via, que in Augustini scriptis, estio tantummodo referato, valde manifesta est, ad diverticula nova, & periculosa divertit, qui docet, gratia sanitate, & medicinalis verum, & genuinum discrimen esse, quod gratia sanæ voluntatis in ejus libero arbitrio relinquere, ut eam, si vellet, desereret; aut ea, si vellet, useretur; gratia vero lapsæ, agroræque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deserat, aut arripiat, si voluerit, nullum adjutorium gratiæ, ejus usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, aut non utatur, ut illud amplectatur, aut deserat, ut illi consentiat, aut non consentiat, si voluerit, ad medicinale adjutorium Christi, de quo contra Pelagianos Augustinus, & Ecclesia disputavit, ullo modo posse pertinere, sed ad adjutorium primo hominis, & sanæ voluntatis esse referendum: in eo consistere essentialiter differentiam utriusque adjutorii, in eamque differentiam totis viribus directe collimare Augustinum; & hoc discrimen tam luculente tradere in lucubrationibus, quas adversus hostes gratiæ exaravit, ut impossibile sit legenti non advertere, nisi opinionis alicujus præoccupati caligo cernendi perspicaciam, judicandique libertatem impederit; Scholasticos recentiores in utroque membro intelligendo tam enormiter aberrasse, ut directe oppositum ejus, quod Augustinus ex professo docuit, ipsi ex professo ex ejus verbis excupserint.

I I.

AB Augustini sententiis longissime aberrat, qui docet, sufficiens adjutorium, & præter quod, nihil aliud ex parte Dei, per modum principii, necessarium sit, ut homo velit, & operetur, nullum jam dari hominibus, quam simul sit efficax, & nullam Christi gratiam effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, ulla voluntatis pervicacia frustrari; hocque ipso, quo data est homini gratia, mox effectum, propter quem est data, sequi; hoc ipso autem, quo effectu illo destituitur, nullam ei gratiam collatam esse, nullam Augustinum aliam agnovisse, nec agnoscere potuisse actuale Christi gratiam, quam efficacem, nisi regulas omnes, quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit, velit interire: quibus alia Divinæ gratiæ adjutoria asserere nitatur, novum gratiæ genus Christianis illum asserere, quod nec Augustinus, nec ullus Latinorum Patrum, qui de gratiæ adjutorio cum Pelagianis ex professo decertarunt, nec Ecclesia in Conciliis generalibus, vel provincialibus, ab Apostolica Sede probatis, agnovit unquam, nec agnoscere potuit, nisi principia, quibus ipsa per antiquos Patres medicinale Christi gratiam defendit, funditus everterentur; non esse nivem calori dissimiliorem, quam sufficientem illam gratiam, veræ gratiæ, quam Augustinus tradidit; hoc adjutorii genus perniciosum esse, monstratum esse, prout a Recentioribus explicatur, in eoque Recentiores longe deterius, quam Pelagianos philosophari.

Bbb 2

III.

neni, severe reprehensus, & castigatus fuit. Diffidia vero illa seu privata, seu publica, quæ tunc temporis diversarum partium Episcopi inter se commiserunt, nihil illius cause favorunt. In Prudentii Tricassini, & Flori Magistri scriptis non minus confutantur ejus errores, quam infulsa Joannis Eriegenæ Capitula. Remigius pariter Lugdunensis, cum mentem Hincmari assequitur, cum eo facit; nunquam autem cum Gothefcalco, cujus pravos sensus non satis cognitos habuit. Synodus demum Valentina, & Carisiaca II. licet specie tenus diffideant, in damnandis tamen Gothefcalci erroribus, stabilienæque catholica doctrina, planè consentiunt.

V.

IN explicanda prædestinatione D. Augustinum sequimur, ab utrisque, Semipelagianis, & Prædestinatianis æque remotum. Nihil certius in doctrina Augustini, quam Prædestinationem esse omnino gratuitam. Et nos id ipsum affirmamus, nullamque aliam ejus causam, Augustini exemplo, assignamus, quam Dei voluntatem. An autem ad gratiam prius, aut ad gloriam, Deus electos prædestinaverit; hæc quæstionem non attingit S. Doctor: ejus tamen doctrinæ magis consentaneum est, ut gloria prius decreta dicatur. Et hic quoque toti Augustiniani sumus: nam si gloria spectatur, ut finis, haud dubie prior est electio ad gloriam; si ut merces, sic esse posterioriorem, affirmamus, ut prior esse possit; ideoque eam omni præparatione mediorem, & meritum prævisione esse priorem, meliori titulo dici, asserimus. Denique cum Augustinum, aliquem in decretis Divinis ordinem uspiam agnovisse, sic inaudimus, & ab eisdem mente ne latum quidem unquam discedentes, nullum & ipsi agnoscerimus; sed prædestinationem ad gloriam, per prædestinata merita, unico decreto factam esse, docemus.

V I.

PORRO discrimen prædestinationis Angelorum a prædestinatione hominum, & quod huic necessario conjunctum est, adjutorii sine quo non, ab adjutorio, quo bonum fit, ipsum Augustinianæ doctrinæ caput est. Quapropter saluberrime confitemur, quod rectissime credimus, Deum . . . sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam; ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde, quid posset suæ gratiæ beneficium. En utriusque prædestinationis discrimen: unde vero procedat, aperiendum est. Quid ergo Adam non habuit gratiam? De Angelis dictum puta. Immo vero habuit magnam; sed disparem. Angelorum enim gratia fuit adjutorium sine quo, hominum vero est adjutorium quo. Illa fuit lætior; hæc autem est potentior. Illa adjuvabat voluntatem Angelorum sanam; hæc & adjuvat, & corroborat voluntatem hominum infirmam. Ex quo sequitur, prædestinationem Angelorum esse quidem gratuitam, at longe magis hominum prædestinationem; hanc soli gratiæ illam voluntati, Divina gratia adjunctæ, posse ascribi.

Harum Thestium veritas, auspice Deo, & favente Deipara, propugnabitur in Aula majore Collegii Rhemensis Societatis JESU, die Luna 17. Decembris, anno Domini 1696. hora post meridiem prima.

Rhemis, ex Typis Viduæ J. MULTEAU.

Sery Tom. II.